

sibi comparare vel potuit, vel debuit. Propter has ergo, similesq; causas minime baptifatus est *Jesus*.

26. *Positive*, vel *affirmative* tamen alia causa passim reperiuntur: nos hac vice ne utiquam omnes, sed ex præcipuis aliquas adducemus, & eas, *ordinis* causa, convenienter in tres classes distribuemus. Nam alie sunt *biblicæ cause*, quarum alie sunt *immediatæ*, nim. in hoc oraculo fundatæ, sed alie sunt *mediatæ*, vid. in aliis scripturæ locis insinuatæ. Quod attinet *immediatas*, *Jesus* baptizari voluit (1) *propter humanitatis suæ demonstrationem*, quia tanquam homo *Johannem* accessit, tanquam homo baptismum petiit, tanquam verus homo baptismum suscepit, hinc etiam, tanquam homo verus, inquit: *sine modo &c.* (2) *propter extreme humiliationis pærefactionem*, quasi diceret, *Tu*, qui meus es *minister*, meus *præcursor*, meus *Angelus*, meus *legatus*, meus *testis* &c.: *sine*, baptismum mihi concede, & in hoc, cum aliis fidelibus, extremam exinanitionem meam respice. (3) *propter æconomicam muneris inchoationem*, *Modo*, dicit, *sine modo* dum officium meum auspico, *modo* dum per baptismum officium ingredior, *modo* dum cælitus inauguro, *modo* dum cælesti præconio vocor, *modo* dum solenni vocatione muneri commisso præficio, *modo* dum cælesti proclamatione, tanquam verus *Messias*, cognoscor, *modo* dum Sancti Spiritus descensu, instinctu, afflatu, impulsu, ad officium trahor. Conf. *Matth. IV. i.* (4) *propter baptismi sublimationem, & gratiosam elevationem*, *Sic*, inquit, nim. per baptismum, ut sibi baptismum applicaret, aquam *baptismalem* accommodaret, in Novi Testamenti Sacramentum elevaret, & omnem virtutem salutiferam eidem communicaret. (5) *propter divinam dispositionem*, *dece* inquit, juxta Patris voluntatem atq; dispositionem *τα Ἰσραηλ* *παισος* *Luc. II. 47.* obedienter adimplere, præscriptum æternæ constitutionis adhibere, ut decorum externum æterno possit correspondere. (6) *propter officij susceptionem*, ut nim. per baptismum, tanquam solennem investituram, sui muneris administrationem eo majori cum autoritate convenienter adire posset.

set.